



Venerabili Fratri Nostro  
DOMINICO S.R.E. Cardinali DUKA, O.P.  
Archiepiscopo emerito Pragensi

«Ecce Christus ad lectum aegroti clamatus venit. “Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur”. “Ego veniam et curabo eum” (*Mt 8,6.7*). Hic est eventus – unus ex multis; totum Evangelium similium rerum plenum est – Christus ad aegrotos clamatus, Ipse ab ipsis invocatus. Christus vero famulatur infirmis dolentibus» (s. Ioannes Paulus II, *Homilia* 1, Gedani, die XII mensis Iunii, anno MCMLXXXVII). Ubi autem Ipse, ibi etiam semper eius Suavissima Mater adstat, quae nomine *Salus infirmorum* a christifidelibus merito appellata eoque quidem fidenter invocata pro filiis suis, sub cruce acceptis, velut Mater (cfr *Io* 19,27), magnopere apud Deum intercedit.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Stanislai Gądecki, Archiepiscopi Metropolitae Posnaniensis, celebrem imaginem, gratiis clarentem ac plurimis miraculis, *Dominae Nostrae Salutis Infirmorum*, quae in archidioecesi Posnaniensi in vico v.d. *Smolice* iam a XIV saeculo pie colitur, coronis, a Nobismet Ipsiis in Urbe die XVII mensis Maii currentis anni benedictis, decoratum iri, ad maiorem gloriam atque splendorem

Beatae Mariae Virginis, cuius protectio et intercessio apud Deum temporis pandemiae viri coronarii peculiari modo animadversa est.

Ideo, memoratus Praesul humanissime quaesivit ad sollemniores efficiendum hunc ritum magisque Redemptoris Matrem honorandam, ut Nos Patrem Purpuratum eligeremus, qui apud Sanctuarium *Dominae Nostrae Salutis Infirmorum* in *Smolice* inter Missarum sollemnalia personam nostram gereret. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui peculiari cultu ac devotione erga Virginem Sanctissimam emines, ad dictum eventum fidenter comiterque destinamus. Itaque, hisce Litteris te MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad memoratum ritum incoronationis, qui proxima die IX mensis Septembris in dicto Sanctuario sollemni modo celebrabitur.

Liturgicis ritibus praesidens nostram benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim Posnaniensi diligenti Pastori itidemque omnibus Fratribus in episcopatu, presbyteris, diaconis, cunctis vitae consecratae membris et christifidelibus laicis. Deinde omnes congregatos ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem filiali corde constanter colant atque omnes vitae sollicitudines eius intercessioni piissime committant, quia ipsa omnes filios suos ad Dei Filium, qui est via, veritas et vita (cfr *Io* 14,6) tute et suaviter dicit.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc  
enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae  
Beatae Virginis Mariae eiusque Sponsi sancti Joseph. Nostram denique  
Benedictionem prolixe tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc  
mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio  
exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Iulii, in memoria s. Ignatii  
de Loyola, presbyteri, anno MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

*Frances*